

DIALOGI

Carneades in rebus iis de quibus disputaverant eloquentes et in dicendo suaves atque ornati fuerunt, sint eae res, de quibus disputant, in aliis quibusdam studiis, oratio quidem ipsa propria est huius unius rationis de qua loquimur et quaerimus.

Ibid. 3. 21. 80. Sin aliquis extiterit aliquando qui Aristoteleo more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere et in omni causa duas contrarias rationes praeceptis illius cognitis explicare aut hoc Arcesilae modo et Carneadis omne quod propositum sit disserat, quique ad eam rationem adiungat hunc usum exercitationemque dicendi, is sit verus, is perfectus, is solus orator.

CIC. *Brut.* 31. 120-1. Quo magis tuum, Bruti, iudicium probo, qui eorum¹ philosophorum sectam secutus es, quorum in doctrina atque praeceptis disserendi ratio coniungitur cum suavitate dicendi et copia; quamquam ea ipsa Peripateticorum Academicorumque consuetudo in ratione dicendi talis est, ut nec perficere oratorem possit ipsa per sese nec sine ea orator esse perfectus. nam ut Stoicorum astrictior est oratio aliquantoque contractior quam aures populi requirunt, sic illorum liberior et latior quam patitur consuetudo iudiciorum et fori. quis enim uberior in dicendo Platone? Iovem sic aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui. quis Aristotele nervosior, Theophrasto dulcior?

CIC. *Acad. Pr.* 2. 38. 119. . . . cum enim tuus iste Stoicus sapiens syllabatim tibi ista dixerit, veniet flumen orationis aureum fundens Aristoteles.

CIC. *Top.* 1. 3. Sed a libris² te obscuritas reiecit; rhetor